

Barbaræ rudis ferè , atque imperitus , non potuit nisi obiter explicare Myſteria ſublimia excedentia captum Barbarorum ; & quamvis moribundus affirmet , ſe omnia capere , exteriora tamen & exiguitas devotionis perſuadent id moribundum dicere ex complacentiâ , ita ut ſi alius ad eum accederet , qui diceret , quod omnia quæ dicta ſunt ei , nihil ſint , niſi meræ fabulæ , etiam ſunt fabulæ , reſponderet Barbarus complacendi gratiâ.

Hoc autem oriri poteſt ex duobus principiis. Primum quia non capit quæ ei dicuntur. Secundum , ex animi levitate , ita ut eo ipſo momento , quo dicit , credo & faciam , credat reverà & exequi velit , ſed minimâ ratione contrariâ , ſententiam mutabit ; quod tamen conſtat , quod Barbarus nollet uri in Inferno , & ſic affirmatio ejus poſſit eſſe vera , & ex intimo cordis.

Difficultas eſt , utrum credat eſſe unum Deum , & utrum credat eſſe Infernum , an verò audiat , quæ dicta ſunt ei , tanquam hiftoriam ſibi narratam , quæ vera & falſa eſſe poteſt.

RESOLUTIO.

Non licere , ſi Miſſionarius ſit moraliter certus , prout in dubio aſſeritur , Barbarum infirmum non ſufficienter juxta proprii captus meſuram intellexiſſe Myſteria Chriſtianæ Religionis , aut ea ſufficienter non credere , & ex ſolo motivo non contradicendi promittere ſe ſervaturum mandata ejusdem Religionis.

Si verò Miſſionarius prudenter eredit , infirmum Barbarum , quando dicit (*credo , & faciam*) reverà tunc ſufficienter credere , ſeriòque promittere ſe ſervaturum , ut ſuprà , debere baptiſari.

Si autem de prædictis Miſſionarius dubitet , & tempus non ſuppetat illum melius inſtruendi , vel moribundus incapax omninò habeatur , immineatque periculum mortis , ac dubitet de intentione Barbari moribun-